

Centuriæ duæ

1617, 6

34.

THEMATUM JURIDICORUM  
ex materia

RESTITUTIONIS IN  
INTEGRUM,

Quas

DIVINA FAVENTE GRATIA

Autoritate & permissu Magnifici in Illustri Salana  
Jctorum Ordinis,

SUB PRÆSIDIO

Viri Magnifici, Amplissimi, Consultissimi,

DN. ORTOLPHI FOMANNI JC.

& in Academia Jenensi Cod. Professoris, ejusdemq;  
Facultatis Juridicæ Senioris optimè meriti, nec non Judicii pro-  
vincialis Assessoris dignissimi, &c. Fautoris & Præ-  
ceptoris sui devotâ mentis observantiâ per-  
petim suspiciendi.

Pro summo in UTROQUE JURE titulo & privilegiis  
consequendis,

Publicæ disquisitioni subjicit

CHRISTIANUS RADEWALDT

Regiomontanus Borussus.

Ad diem 2. Augusti.

J E N Æ

TYPIS JOHANNIS BEITHMANNI.

ANNO 1617.



39

Genusque  
 THEATRI  
 RESERVATIONEM  
 IN THEATRO  
 TIVIA  
 Altona  
 sua  
 OR  
 & in Academia  
 Facultatis  
 Pro  
 Publica  
 CHRISTIANUS RADEWALDT  
 Regimen  
 Ad  
 J. E. N. A.  
 Typis  
 Anno 1817





# DE RESTITUTIONI- BUS IN INTEGRUM.

## T H E M A I.



Uandoquidem jure nostro civili multa sunt introducta,  
quæ duritiem præ se ferrent aliquam.

2. Ideoq; propter utilitatem publicam jus Præto-  
rium Prætores introduxerunt, adjuvandi, supplendi vel  
corrigen- di ꝑ. Civ. gratiâ.

3. Unde nec in totum juri civili servit, nec in totum ab eo re-  
cedit, quod in simili dicit Ulpian.

4. Cui etiam juri acceptas debemus referre Restitutiones in in-  
tegrum: quæ contra civilis juris rigorem, extraordinariam tanquam  
remedium, inventa sunt.

5. Extraordinarium verò dicimus hoc remedium eò, quod non  
ordinario jure, id est, civili communi: sed extra ordinem Prætoriâ be-  
nignitate introductum.

6. Non tamen ob id contrariantur juri civili, aut contra ju-  
ris civilis regulas introducta sunt: alioquin justiciam & equitatem; vel  
Regulam & Exceptionem sibi invicem opponi necessum esset.

7. Sed uti sunt pars & portio Juris civilis in genere sic dicti:  
ita etiam ipsam naturalem equitatem comitem habent.

8. Unde non iniquè miror gl. in l. 1. ff. de min. sub. verb. natu-  
ralem equitatem, asserere Restitutiones omninò juri gent. & equitati  
naturali contrarias esse.

9. Ad eò etiam, ut si æquitas Restitutionem non suggerat, lici-  
tè denegari possit, secundum illud: Si qua mihi justa causa.

10. Inde concludimus, restitutionem esse favorabile quid, eamq;  
in dubio concedendam.

11. Hujus ergò materia cum tanta sit utilitas, teste ipso Ulpiano, ut commendatione non egeat, quin ipsa se ostendat, ejus ex eâ positiones quasdam subjiciemus.

12. Non tamen divisim ad singulas species descendemus: sed generalia tantum & communia tractabimus rudi quâdam Minervâ: specialia, ut & exactiorem diligentiam requirentia, in aliud tempus reservabimus.

13. Est ergò Restitutio in integrum rei vel causæ redintegranda actio.

14. Actionem quando dicimus, non intelligimus jus prosequendi in judicio, quod nobis debetur.

15. Sed generaliter quatenus suo ambitu omnes comprehendit persecutiones.

16. Rei vocabulum generalissimum aliàs est, aded ut causa & jura eodem contineantur. Majoris tamen declarationis ergò Paulus utrumq; conjunxit.

17. Redintegrari verò res dicuntur, quando omnia in pristinum statum reponuntur, de quo inferius.

18. Restituere possunt omnes, qui vel certæ administrationi, cui & Jurisdictio adheret, præpositi sunt, vel ab his fuerint dati; vel si ab Imperatoriâ majestate delegata eis fuerit causarum audientia.

19. Unde & Princeps, & ordinarius Judex, ut & Præfectus Prætorio, Præfectus urbi, Præses, Procurator Caesaris rectè restituant.

20. Præses tamen contra sententiam Procuratoris non restituit rectè, sed solus Princeps contra illorum sententiam restituit.

21. Sed etsi ab Imperatore Judex datus cognoscat, restitutio ab alio, nisi à Principe, qui Judicem destinavit, non fiet.

22. Quin tamen & ipse Procurator & alius, contra sententiam à se latam restituere queat, hæc quæ diximus, non obstant.

23. Quod tamen de ordinario intelligo Magistratu: non delegato.

24. Sic quoq; Magistratus minor contra sententiam majoris restituere non potest.

25. Sed numquid par restituit contra sententiam Paris? Ita quidem putat Oddus p. 1. q. 32. art. 20. Dubito tamen, annon sententia hîc possit dici ejusdem, cum idem numero sit Præsidis officium.

26. Cum

26. Cum verò arbitris nulla competat Jurisdictio, sed tantum  
causæ cognitio, restituere in integrum non poterunt.

27. Non tantum, si principaliter illa petatur, sed etiam, si inciden-  
ter propter Jurisdictionis defectum.

28. Sed quid, si arbiter sit compromissarius? Cum privatorum con-  
sensus Judicem non faciat eum, qui nulli præest Judicio, & sic juris-  
dictio in aliquem privatorum autoritate non transferatur, compromis-  
sum hoc non valebit.

29. Ut tamen pronunciet esse aliquem restituendum, valet com-  
promissum. Terminos namq; notionis non egreditur, sed realem resti-  
tutionem ad ordinarium Judicem remittit.

30. De Jure autem Canonico etiam delegati & arbitri incidenter  
super restitutione in integrum cognoscere possunt.

31. Numquid verò Magistratus Municipalis, aut Judex Pedaneus?  
Negam. de Utrisque.

32. An autem delegatus? Negam. Nisi vel specialiter hoc ipsi de-  
mandatum, vel Jurisdictio & Magistratus generaliter ipsi demandata  
sint.

33. Restitui autem possunt omnes, qui læsi sunt ex causis, à  
Abus approbatis.

34. Nec illi solum, sed omnes etiam illorum successores, non tan-  
tum universales, ut heredes & fideicommissarii.

35. Sed etiam particulares, modò id fiat cessione principalis.

36. Et fideicommissario restitutio datur, tum quæ testatori com-  
petebat, tum quæ heredi fiduciario, quando scilicet læsio circa res fidei-  
commissi contingit.

37. Patet enim tum ex definitione data, tum ex aliis textibus Juris,  
non personæ principaliter, sed causis ad inventas has in integrum resti-  
tutiones.

38. Accedit summa heredis cum defuncto conjunctio, utpote, qui in  
Jus hujus omne succedit, adeò, ut una cum defuncto persona censeatur.

39. Sed quid de fidejussoribus? Si heres læsi extiterit, restituitur ad  
instar heredis, non verò fidejussoris.

40. Sin non: DD. distinguunt, ita ut ipsis etiam competat, si ob  
causam detur, non verò si ob personam.

41. Dolus ergò, item metus aut absentia justa, si ex causa orian-  
tur, etiam fidejussoribus proderunt.

A 3,

42. At:

42. At quæ ob atatem saltem competit, si ex causis modò nominatis nulla adfuerit, non poterit ad fidejussores transire.

43. Hoc namq; in casu & contra ipsum Creditorem & contra Fidejussorem agentem mandati actione, habebit restitutionem, aded ut ex mente Ulpiani neutri teneatur.

44. Quod procedit, sive sciverit Fidejussor hunc minorem esse, sive ignoraverit.

45. Nam si sciverit, sibi imputet, qui conditionem minoris non ignorans, pro eo fidejussit.

46. Et à minore fidejussores accipiuntur, propter incertum atatis ac restitutionis.

47. Si ignoraverit, propriam allegat turpitudinem, nec juvatur, cum inquirere & certus esse de persona secum contrahentis debuisset.

48. Et cum per in integrum restitutionem non tollatur ipso jure actio, sed impediatur tantum juris civilis effectus.

49. Durabit quoque ipsa obligatio, si non civilis, ut vult Accurs. saltem naturalis, que sufficiens est ad obligandum fidejussorem.

50. Ubi verò & atas minor & dolus concurrunt; eo casu, minore restituto, etiam fidejussores restituti censentur.

51. Aded, ut novâ opus non sit instantiâ, sed minoris restitutio semel facta sufficit, tanquam in re connexâ.

52. Sicut etiam videmus sententiam contra Debitorem latam in Fidejussore posse executioni mandari ita, ut novâ opus non sit.

53. Eâdem quoque ratione DD. fidejussori competere restitutionem minoris concludunt; si creditor aliâ ratione possit esse indemnus.

54. Et hinc deciditur questio: Num restitutionis beneficium vel personale sit vel reale? Quod adfirmo.

55. Petere autem restitutionis beneficium quis potest, non saltem per propriam personam: sed etiam per procuratorem; modò is mandatum habeat speciale.

56. Nam novum non est, ut generali mandato non omnia contineantur: cum speciale mandatum nonnulla requirant.

57. Hac autem nominatim mandari debet. Eò quod procurator Restitutionem petens, Domnium mutasse animum asseveret.

58. Mutatio verò voluntatis nunquam facta presumitur, sed probari debet. Probari autem ex generali mandato non potest sufficienter.

59. Sed



59. Sed causa ob quam peti debet, ut exprimat<sup>r</sup> necessum non est, sed sufficit clausula generalis: Ad petendam restitutionem constitutus est Procurator.

60. Sed si aliquis vel aliqui de specialibus articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent, adjecta clausula generali; tunc ad non expressos etiam admittetur.

61. Quin imò Procurator habens mandatum cum libera, cum comparetur ei, qui habet mandatum speciale, restitutionem peti poterit.

62. Quod si tamen incidenter petatur, generale sufficit mandatum.

63. Multa namque in consequentiam admittuntur, quae principaliter non conceduntur.

64. Pater verò, Tutor, Curator, Oeconomus, alique administrationem alieni patrimonii habentes, etiam sine mandato speciali possunt petere restitutionem.

65. Quod si de speciali mandato aliqua oriatur dubitatio, potest admitti Procurator, sed cum cautione Dominum rem ratam habiturum.

66. Datur adversus eas personas, qui laeserunt vel deceperunt.

67. In restitutione autem ob metum, tenetur non solum is, qui vim intulit: sed etiam is, ad quem res illa quacunque ex causa pervenit.

68. Adeò, ut etiam adversus heredem detur, ne videlicet, quod turpiter, vel scelere quæsitum sit, ad compendium heredis pertineat.

69. Itidem adversus eum, qui rem bonâ fide emit, vel cui res legata vel tradita est ab eo, qui vi eam abstulit.

70. Contra Parentes tamen aut Patronos non datur restitutio; veterum dubitationibus omninò per Justinianum sublatis.

71. Nec turpitude vite paternæ tollit hunc honorem, sed is nihilominus illibatus remanet: & reverentia personarum omnem excludit restitutionem.

72. Quod tamen non intelligo de liberis in potestate existentibus: sed de illis solum, qui sunt emancipati.

73. Nam qui in sacris adhuc sunt Parentum, non tam præcepto Pratoris vel edicti, quam jure potestatis prohibentur contra Patrem agere.

74. Imò

74. Imò ad omnes etiam adscendentes, quibus equalis debetur reverentia, hæc non immeritò extendimus.

75. Sed numquid causa absentia hinc excipitur? Cum in his causis uterq<sup>3</sup> suo jure uti queat, absq<sup>3</sup> nota sinistra suspicionis, quæ sanè in casu doli, metus, minorennitatis semper inest, datà ratione diversitatis diversum quoq<sup>3</sup> jus aimus.

76. Contra matrem tamen tutela officium gerentem concessa est restitutio.

77. Datur autem ob causas à Jure civili expressas, de quibus prima judicis cognitio esse debet.

78. Ubi ergò aliud supererit remedium, & quis est ipso jure tutus, non opus est restitutione in integrum.

79. Ut si quis querelam inofficiosi intermittat, præscribitur ei remedio quinquennio. Queritur, an minori hoc tempus currat & utrum restituendus?

80. Respondet Imperator, non esse necessariam Restitutionem. Eò quod hîc non sit redintegratio causæ: Sed integra ipsa causa hic servetur: & minor ipso jure est munitus contra præscriptionem.

81. Sed numquid, si industrius fuerit Minor & prudens paterfamilias, restituendus? Negam. si publicis actibus industrium se docuerit, ut lapsum eum per ætatem verosimile non sit.

82. An Juris Doctor sicubi deceptus, si id in contractibus acciderit? Aimus. Eò quod prudentia juris cum rerum administratione parum vel nihil habeat commune.

83. Sin verò ignorantia juris decipiatur, non est audiendus, eò quod propriam consiteatur turpitudinem: & juris ignorantia non proffit iis, qui suâ prudentiâ instructi sunt.

84. Sed quodnam forum arroget sibi hoc restitutionis remedium, disputant DD. Si Restitutio adversus obligationem petitur, in foro domicilii conventi vel contractus.

85. Si autem in rem sit, in loco rei sitæ.

86. Nonnunquam tamen non in foro rei, sed consistorio Principis ea petenda est, ut in iis casibus omnibus, in quibus Princeps solus restituere potest.

87. Requiritur autem, ut in reliquis processibus, Citatio, Libellus, litis contestatio, probatio, causæ cognitio.

88. Ubi

88. Ubi scilicet principaliter illa agitur, nam si incidenter tantum, ordinario ejusmodi processu opus non est, sed summaria cognitio sufficit.

89. Idem statuunt DD. ubi ex ipsius rei natura facile appareat de lesione.

90. Et quidem cum laesus quis fuisset, olim restitutionem petebat intra annum utilem.

91. Qui tamen hodie à Justiniano Imperatore in quadriennium continuum est immutatus, supervacua illa differentia utilis anni, ut & locorum discrimine omnino sublatis.

92. Quod tamen quadriennii tempus utile est ab initio, id est, non currit, nisi potestas experiundi laeso detur, & ob id etiam à tempore scientia hoc ipsum currere verius est.

93. Unde minori ad annos legitimos pervenienti non curret, nisi se laesum esse cognoverit.

94. Currit autem quadriennium hoc vel ex tempore completi anni 25. & primo die anni sequentis: aut si etatis veniam impetravit, ex quo indulgentiam iudicio fuerit intimata.

95. Ita tamen, ut nunquam intra annum 25. restitutio ei denegetur. Ut si anno 20. veniam impetravit, de iis, quæ ante eam impetratam gessit, quinquennio restitui potest.

96. Ecclesiæ verò Rebus publicis, Academiis, quæ jure minorum fruuntur, à tempore lesionis, tam ad interponendam contestationem, quam finiendam litem.

97. Absentibus Reipubl. causa à tempore reditus: Militibus à tempore missionis.

98. Quid si jam tempus currere coeperit, & impedimentum oritur, puta, ut Miles in militiam proficiscatur, vel quis Reipubl. causa abesse coeperit? Tempus hoc ipsum interea cessat, & quadriennio non esse imputandum asseritur rectè.

99. Ad eò, ut ipso jure tutos hos esse adfirment nonnulli, respectu præterlapsi quadriennii.

100. Et ad omnes omnino restitutiones s. minorum s. maiorum, s. ex causa metus, s. ignorantia, aut absentia justæ processerint hæc, quadriennium extenditur.

101. Excipitur Restitutio ex causa doli admisi, quæ biennium du-

B

rat ex

rat ex eo die, quo dolus admissus est, idq; nulli adhibitâ distinctione, an videlicet absens vel presens actor.

102. Ut & Restitutio ex causa capitis minuti, quæ perpetua est, quæ includi propterea non potest, quia Imper. de iis tantum loquitur, quibus annus utilis erat presinitus.

103. In heredum verò personis; ut heres & defunctus distingvantur, necessarium est.

104. Nam aut minor succedit majori, & tùm id saltem temporis ei proderit, quod etiam majori profuisset.

105. Aut minor succedit minori, & tùm, si ante elapsum quadriennium, id est, 29. annum moriatur, potest heres ex persona defuncti restitutionem petere.

106. Sin verò hoc intermiserit heres, post completum annum 25. quadriennium adhuc retinet illibatum, ut ex suâ personâ petere queat.

107. Causa ea est, quod lusus videatur minor eo ipso, quod remedio usus non sit, & tempus legitimum lapi passus fuerit.

108. Sin verò major succedat minori, statim ex tempore, ex quo hereditas adita fuerit, tempus quadriennii currere incipit.

109. Non ergò computatur tempus hereditatis jacentis.

110. Sin major majori, statim ab adita hereditate, id, quod defuncto competebat tempus supererit.

111. Quadriennium autem non solum petendæ & exponendæ restitutioni presinitum, sed etiam finiendæ.

112. Et ita quidem, ut si post tempus hoc Prætor aliquem restitueret, nihil ageretur, sed actus ille, tanquam libus contrarius, pro nullo haberetur.

113. Speciale hoc est ex jure Novellarum, in præscriptione Exceptionis non numeratæ dotis: ita, ut adversus illam restitui possit minor intra annos duodecim, à die matrimonii contracti computandos.

114. Quibus elapsis duos adhuc habet annos, ratione juris communis, à tempore matrimonii dissoluti.

115. Sin verò maritus intra tempus minorennitatis decedat, ejusq; heredes majorenes sint, datur ipsis annus duntaxat.

116. Sin autem minor succedat majori vel etiam minori, quinquennium ei competit tantum; nec expectandus exitus omnium minorum temporum.

117. Id--

117. Idipsum verò quadriennium tantum respectu rescidentis, non verò rescissoria competit actionis.

118. Quod si verò actor dilationem probandi petierit, utrum illa concedenda? Affirm. maxime, si intra metas restitutionis valet arctari.

119. Obiter quero, an actor, non petita dilatione probandi, ad probationem progredi possit? quod negamus.

120. Quod tamen de jure Saxonico secus est, in quo non est necessum terminum probatorium à Judice peti, sed habet ipso jure spacium sex septimanarum & trium dierum.

121. Cui tamen per conventionem litigantium renunciari potest, ita, ut vel restringatur vel dilatetur tempus hoc.

122. Quod si autem tale tempus postulaverit, quod intra spacium receptum coangustari nequit, & sic labatur quadriennium? Dilationem denegari convenit.

123. At si reus dilationem petierit? Etiam si tempus constitutum excesserit illa, concedenda.

124. Et tamen etiam actori non obstat lapsus quadriennii. Eò quod dilationes communes sint.

125. Non autem sufficit simpliciter probare ipsum impedimentum, sed etiam qualitates impedimentorum probanda sunt.

126. Adeò, ut non tantum probare quis teneatur impedimentum fuisse justum, sed etiam, quod non processerit culpa tertii.

127. Nec semiplena sufficit, sed plenissima requiritur probatio.

128. Effectus Restitutionis, quod omnia in suo statu manere debeant, donec lis finiatur.

129. Quod de restitutione petita intelligo, nam si intentata nondum sit, nulli sunt ejus effectus. Ita ut sententiae executioni non mandetur, donec de restitutionis beneficio fuerit cognitum.

130. Et hoc non tantum, si plana sit restitutionis causa, ut facile de eà constare possit, sed etiam, si altiore illa requirat indaginem.

131. In tantum, ut etiam adversus sententiam summi Principis, si videlicet ex parte lesi causa adsit legitima, executio impediri possit.

132. Etiam si tres conformes latae fuerint sententiae: Neg, necessarium, ut statim in initio qualitercunq, causam restitutionis probet reservata ulteriori disquisitione, ad ipsum Restitutionis iudicium.

133. Quod si verò presumptio calumniae adsit adversus petentem, id

est, si constiterit animo litem differendi tantum restitutionem esse petitam, mandabitur sententia nihilominus executioni.

134. Cautione tamen idonea prestita, se in casum succumbentiae non rem ipsam tantum restitutum, sed etiam omnia ea, qua tempore intermedio perceperit.

135. Quod si sufficienter caveri non poterit lesionem praevidenti, suspenditur, ut s. dictum, sententia.

136. Ubi vero executio jam est perfecta, cum factum infectum fieri nequeat, suspendi ea nequit, multo minus retractari.

137. Nisi de facto, pendente restitutione, executio perficiatur, tum enim factum hoc, utpote quod juri est contrarium, annihilatur.

138. Alter effectus est; quod tantum Restitutio restituit, quantum lesio abstulit.

139. Nihil ergo vel magis restituit vel minus.

140. Unde, qui restituitur in integrum, sicut in damno morari non debet, ita nec in lucro.

141. Omnem itaque causam reus restituere cogitur, quam lesus habiturus fuisset, si statim Judicii accepti tempore res reddita ei fuisset.

142. Quin imò si restituere rem absolute pronunciasset Judex, quod fructus etiam comprehendantur certi juris est.

143. Imò etsi fructuum in libello nulla facta sit mentio, modo se restituere petierit, ad fructus tamen etiam restituendus est de 7. Civ.

144. Quod extendendum etiam ad fructus à b. f. possessore consumptos: modo è contrario ipsi expensae utiles & necessariae refundantur.

145. Quin etiam ad interesse omne ratione lucri cessantis pretii, per possessorem soluti, pro re comparanda.

146. Et sic etiam minore novandae obligationis ergo restituto adversus creditorem, ipsi creditori vetus actio restituitur adversus debitorem veterem.

147. Duo autem sunt diversa judicia in restitutionibus in integrum. Rescindens alterum; alterum Rescissorium.

148. Rescindens illud dicitur, quod rescindit actum laeso praedicti, eumque in pristinum statum reponit.

149. Rescissorium est actio renata per remotionem istius obstaculi.

150. Sed numquid remedium rescissorium prius intentari queat subsequente postmodum rescindente, quaeritur? Negamus regulariter.

151. Sed

151. Sed numquid cumulatio horum remediorum admittitur?  
Affirm.
152. An verò ex capite ignorantia adversus prescriptionem competit restitutio? Quod negamus.
153. An restitutio detur adversus sententiam interlocutoriam quaestio-  
nis est. Nos si modici est praedicti sententia, negam.
154. Modici autem praedicti illa dicuntur, quae non tangunt ali-  
quo modo merita causa, illisque non praedictant.
155. Talesque sunt sententiae super plerisque dilatoris exceptionibus.
156. An minoribus succurratur, si non dolo, sed culpa tantum le-  
vi aliquid admiserint? Affirm.
157. An puella restituatur in integrum adversus nimis modicam  
dotem sibi à fratribus vel patruo constitutam & acceptatam? Aimus.
158. An minor adversus venditionem restituatur, si curatorem  
habens sine ejus autoritate rem distraxit? Neg. Quia talis venditio est  
ipso jure nulla.
159. An contra juramentum minor pubes restituatur, si curatoris  
non adhibuerit consensum? Negam.
160. Contractus tamen ipso jure invalidus per juramentum non  
confirmatur.
161. Restitutio in integrum etiam adversus rem judicatam fieri  
potest.
162. Nec ratione solum aetatis; sed alia etiam ex causa majoribus  
competit.
163. Ita ut etiam adversus sententiam arbitratorum, quam bar-  
baro vocabulo Laudum dicunt DD. illa competat.
164. Arbitrium namque iudicis equiparatum. Si ergò in his, in  
quibus major autoritas iudicis, locum habebit, quidni in illa etiam?
165. In tantum, ut etiam si statutum sit sententiae arbitratorum non  
esse reclamandum.
166. Propter instrumenta tamen noviter reperta sententia definiti-  
va non retractatur, nec ipso jure, nec ope restitutionis.
167. Instrumenta verò noviter reperta dicuntur, quae quis in ju-  
dicio, quo victus est, non produxit, quae jam tanquam nova producere  
vult.
168. Ob poenae asperitatem vite & salutis humane periculum in

criminalibus id non procedit, quin instrumentis vel testibus noviter pro  
innocentia rei repertis, sententia rescinditur.

169. Nontamen remedio aliquo juris, sed Principum gratiâ.

170. Quandoquidem verò sententiæ nonnullæ in rem judicatam  
non transeant, non opus est in his ob probationes repertas restitutionem  
petere.

171. In quarum numero etiam est sententia in causa matrimo-  
niali lata.

172. Sententia tamen interlocutoria Instrumentis repertis re-  
scinditur.

173. Retractatur verò sententia ex clausula generali, quando vi-  
ctus ignoravit instrumenta, vel alia ex causa impeditus fuit ea produ-  
cere.

174. Si tamen Instrumenta eo in loco erant, ubi facile inveniri po-  
terant, & verosimile fuit ea ibidem adfuisse, ignorantia & desidia hæc  
Restitutionem non merebuntur.

175. Propter Testamentum tamen noviter repertum sententiam  
retractari posse leges docent, non tamen ipso Jure, sed beneficio restitu-  
tionis.

176. Similiter etiam, quando à Judice Juramentum suppletorium  
alicui est delatum novis repertis Instrumentis retractatur sententia re-  
gulariter.

177. Sententia namque hæc ex Juramento tanquam causa lata  
est, quæ si falsitas detegatur, retractari potest.

178. Nec interest, utrum juramentum hoc dolo præstitum sit, an  
verò non?

179. Si tamen dolo perjurium commisit, cum sciverat adesse in-  
strumenta, ex parte adversarii, talis sententia est ipso jure nulla.

180. Sin verò per ignorantiam quandam, sine dolo, restitutio neces-  
saria.

181. Sed quid si dubium de eo sit, utrum dolo, an sine dolo? Resti-  
tutionem quoque hic requiri certum est.

182. Quæ de juramento suppletorio diximus, in juramento volun-  
tario non procedunt.

183. Negotia etiam publica ob instrumenta noviter reperta resti-  
tutionis beneficium habent.

184. Ec-



184. Ecclesia etiam, si omnem adhibuit diligentiam, restituitur ex eadem causa, sed ex edicto Minorum.
185. An verò ex edicto minorum, vel ex generali clausula, Si qua mihi iusta &c restitutio detur, multum interest.
186. Nam si ex edicto minorum restitutio est, competit etiam tùm, cùm adversus Curatores vel Administratores recursus est: sin verò ex clausula generali, minimè.
187. Et quæ de Instrumentis diximus, etiam de testibus intelligenda, cum Instrumentorum vocabulo etiam testes veniant.
188. Præsertim si sciant aliquid, quo stante sententia revocari debet.
189. Prætextu Instrumentorum noviter inventorum, qui restitutus est, is etiam aliis uti poterit, si sine his victoriam assequi non posset, modò antea negligentia quâdam non sint omissa.
190. Quod etiam tùm obtinet, quando prius instrumentum fuerit principale, posterius verò accessorium.
191. Qui verò ejusmodi Instrumenta noviter se reperisse asserit, probare id ipsum debet.
192. Si sententia ex probationibus falsis lata, non est ea ipso jure nulla, sed remedio restitutionis opus.
193. Et quanquam ad testes tantùm corruptos nonnulli hæc restringant; nos tamen etiam ad eos, qui sponte suâ falsum dixerint, hæc extendimus.
194. Unde etiam concludimus, non necessum esse, ut probet læsus, testes corruptos esse, sed sufficit, si falsum dixisse monstret.
195. Si tamen in libello se astrinxit ad probationem corruptionis, ad eam teneri reum, vult DD. communis opinio. Quæ tamen dubio non caret.
196. Quia tamen ex stylo fori in libellis clausula consveta, non astringens se ad probationem superfluam &c. addi solet, per hanc à probatione dicta relevatur.
197. Sed quid in probationibus Juris, numquid ex earum falsitate oritur restitutio? Negam.
198. Ubi verò is, qui vicit probationibus veris, vellet justificare sententiam, nec in dolo fuit, restitutio in integrum concedi non debet.

199. Sin

199. *Sin verò in dolo fuerit, non est audiendus, nisi res in priorem reponatur statum, in quo fuit ante laesionem; ne ex suo delicto commodum sentiat.*

200. *Ex pretextu tamen, quod sententia lata fuerit contra jus litigatoris, restitutio non competit.*

## Corollaria.

1. *Non est absurdum decedere vel esse quem pro parte testatum pro parte intestatum.*
2. *Ea, quæ inter se contraria sunt, possunt simul esse vera.*
3. *Non est novum, ut qui dominium non habeat, alii dominium præbeat.*


F I N I S.



(X2618029)

101A







39.

Centuriæ duæ 1617, 6

MATUM JURIDICORUM  
ex materia

STITUTIONIS IN  
NTEGRUM,

Quas

IVINA FAVENTE GRATIA

& permissu Magnifici in Illustri Salana  
Jctorum Ordinis,

SUB PRÆSIDIO

Magnifici, Amplissimi, Consultissimi,

POLPHI FOMANNI JC.

a Jenensi Cod. Professoris, ejusdemq;  
icæ Senioris optimè meriti, nec non Judicii pro-  
fessoris dignissimi, &c. Fautoris & Præ-  
is sui devotâ mentis observantiâ per-  
petim suspiciendi.

UTROQUE JURE titulo & privilegiis  
consequendis,

publicæ disquisitioni subjicit

IANUS RADEWALDT

Regiomontanus Borussus.

Ad diem 2. Augusti.

J E N Æ

JOHANNIS BEITHMANNI.

ANNO 1617.

